

senectute algere se docet, et tractandis armis prorsus ineptum, et Entellus robustissimus antea, de se tamen in senectute dicit:

*Sed enim gelidus, tardante senectâ,  
Sanguis habet, frigentque effeta in corpore vires.*

Doctores Hebræorum, quibus ex nostris nonnulli subscribunt, alias excogitarunt causas, cur Davidis vestimenta, quæ non videbantur parum accommodata ad fovendum frigidum et senile corpus, nullum illi usum, aut nonnisi exiguum attulerint. Sed illæ omnes ejusmodi sunt, ut nemini sano probari debeant. Dicunt enim hoc esse supplicium, quod expendit David, propterea quod oram chlamydis absceidit, quæ regii corporis tegumentum erat et insigne. Quare voluit Deus ne illum à vestimentis usum caperet David, qui desectâ regis chlamydis oram tam gravis personæ, quam revereri debuisset, vestem deormasset. Alias fingunt nihil istâ magis opportunas, quales cuilibet fingere promptum est. Sed qui novit regem ad septuagesimum ætatis annum esse provectum, quamvis antea noverit robustissimo esse corpore, et laboris patientissimo, sanè de investigandâ aliâ graviore ratione non laborabit. Vide hæc de re plura apud Abulensem, q. 2. Fieri tamen potuit, ut ad senile frigus morbus etiam accederet aliquis ex illis qui membra contrahunt et infrigidant, inducuntque tremorem ac paralytim.

Agit hæc de re pluribus Vallesius de sacrâ Philosophiâ, c. 19, et docet Davidem naturalis caloris inopiâ laborasse, cui subvenire non possunt vestimenta, aut aliquis alius calor, qui est ab igne, seu à sole. Non vestimenta, quia hæc calefacere non possunt membra calore proprio, quem non habent, neque actu ut ignis, neque potentiâ, ut medicamenta quædam, sed tantum, quia calorem retinent nostrum, aut quodam illius repercussu fovent. Neque calor qui ab igne est, nam ille plurimum differt ab innato, quem innatus per alterius contractum applicatus multum juvat et fovet. Atque ideò hujusmodi frigiditati subveniri posse docet Galenus lib. 7 Methodi, si cum eo qui ejusmodi patitur caloris defectum, assidue cubet boni habitus puellus. Unde credibile est medicorum hoc esse consilium, qui experientiâ, aut ex artis medicæ disciplinâ noverant unius naturalem exiguum ab alterius naturali calore optimè foveri.

VERS. 2.—DIXERUNT ERGO EI SERVI SUI: QUÆRAMUS DOMINO NOSTRO REGI ADOLESCENTULAM VIRGI-

NEM, etc. (1). Cur verò tam medici, quam alii regis familiares virginem adolescentulam quærendam esse dicant, scito opus est. Non quærunt puellum, cum illius fortasse calor non minus esset ad senile corpus fovendum idoneus, quam qui est à puellâ. Virginem, quia ille neque præstare posset quod hæc facit, neque tam esset ille concubitus à turpitudine vacuus. At uxores aliæ, seu concubinae, quæ habuit David, quæ in eodem cum rege lectulo cubare sine periculo possent, jam erant vetulæ, neque fortasse in earum corporibus, aut vigeat calor, aut ferebat sanguis, qui, ut diximus, plerumque friget in grandævo corpore. Sanè ex quo David regnum primum inivit totius Israelis, non legimus, aut uxorem accepisse, aut concubinam ullam, nisi fortasse Bethsabæe. Quare omnes longævus jam fuisse necesse est, cum ab eo tempore triginta propè fuerint anni transacti. Concubinas verò cujuscumque officii causâ ad regium thalamum adhiberi, non erat è regis dignitate, cum illas violasset Absalom incesto concubitu, et eam ob causam à Davide jampridem in arctam, licet honestam, custodiam essent inclusæ, ut habes lib. 2, cap. 20. Quare quærenda fuit virgo, tum quia illæ feminae, quarum jam ante est libata virginitas, aut quæ fuerunt aliquando puerperæ, calorem habent, aut magis tenuem, aut minus salubrem, quam virgines, quæ, ut integræ sunt, sic etiam illarum integer est ac vividus calor. Quæ de re vide Abulensem q. 4, ubi aliqua observat ex opinione medicorum, quæ à feminarum obsequio, maximè juvenularum, contra frigiditatem et paralytim plurimum existimantur habere momenti.

Hæc porrò puella et virgo quæritur, et omnium pulcherrima virgo quidem, quia illius calor opportunus magis, et quia regiam dignitatem minus decebat puella, quæ ab alio prius esset subacta. Pulcherrima verò, quia cum deberet regi semper astare, illiusque et ministrare cibos, et curare corpus, si aliquid in eâ deformitatis inesset, et nausearet ad illius faciem, et fastidiret cibos ab illius manu porrectos: fieri etenim solet, ut qui minus est cibe-

(1) STET CORAM REGE, ut serviret regi. Sed versiculi 4 et 15, atque Chaldæus hujus textus docent, adhibitam fuisse puellam, ut regi ægro-tanti ministraret, exhiberet potum et cibum, et cætera præstaret, quæ morbus atque ætas principis exigenter. Decubuisse tunc in lecto Davidem, constabit inferius.

ET FOVEAT EUM. Hebræus: *Et solatio illi sit, vel serviat.* Chaldæus: *Sit illi propinqua.* Alii: *Sit illi uxor, vel concubina.* (Calmet.)

rum appetens, imò nauseante stomacho, fastidit omnia, non solum patienter, sed etiam jucundè capiat cibos, quos condivit, aut ministravit ille quem amat, aut in quo mundities est, et aliquot amoris blandimenta. Quo artificio usus est Amnon lib. 1, cap. 13, ut suam sibi voluptatem impleteret, qui non dubitabat hoc fuisse parenti notum, quando ab illo petiit simulato morbo, ut ad se mitteret sororem Thamar, de cujus manu cibos sumeret, quasi alii omnes fastidium moverent stomacho, qui omne eduliorum genus aversaretur.

Neque mihi dubium est, quin ea femina sub eâ conditione venerit in societatem sinumque Davidis, ut cum illâ citra culpam ullam habitare et quamcumque consuetudinem habere potuerit. Alioqui quomodò tutò rex ille, licet effæto, et semimortuo corpore, usque adeò familiarem usum cum virgine speciosâ, cujus mille sunt peccandi illecebræ, habere potuisset, per quam diabolus extinctos carbones ardere facit, et libidinis incendia in membris frigidis et penè mortuis effervesce? Quare probo quod visum est Theodoro q. 7, et ex eo Procopio, Lyræ, Dionysio, et Cajetano statim c. 2, imò et S. Hieronymo Epist. 2 ad Nepotianum, qui Sunamitidem hanc uxorem appellat Davidis. Abulensis concubinam esse concedit hic q. 4, uxorem esse negat c. 2, q. 25. Quodvis horum à peccato liberat hoc Davidis cum Sunamitide usque adeò familiare consortium. Tropologicum sensum hujus historiæ habes apud Hieronymum in Ep. ad Nepotianum de Vitâ clericorum, ubi in Sunamitide sapientiam intelligit, quæ ubi alia desunt adjumenta naturæ, comitatur, consolatur et fovet senectutem. (1)

(1) PORRÒ HÆC HABET EÒ LOCI APPELLATUS S. Hieronymus: *Nonne, ait, tibi videtur, si occidentem sequaris litteram, vel figmentum esse de mimo vel atellanarum ludicra? Frigidus senex obvolvitur vestimentis, et nisi complexu adolescentulæ non tepescit. Vivebat adhuc Bethsabæe; supererat Abigail, et reliquæ uxores ejus et concubinae, quas Scrip. commemorat: omnes quasi frigidæ repudiantur, et in unius tantum grandævus calescit amplexibus, Abraham multò David senior fuit, et tamen vivente Sarâ aliam non quæsivit uxorem; Isaac duplices David annos habuit, et cum Rebecca jam vetulâ nunquam friguit.* Ubi adverte S. Hieronymum, æquè ac Angelomum et alios, elevare hic, et quasi evertere sensum litteralem, qui omninò loco fundamenti statuendus est; quare hisce verbis tantum significant, litteralem ut minus utilem hic obiter prætereundum esse, ac morali, qui præcipuus est, inhærendum, quem sic assignat ibidem S. Hieron.: *Quæ est igitur ista Sunamitis uxor et virgo, tam fervens ut fri-*

VERS. 4.—ERAT AUTEM PUELLA PULCHRA NIMIS, DORMIEBATQUE CUM REGE, ET MINISTRABAT EI; REX VERO NON COGNOVIT EAM. Quæsita est ex omnibus finibus Israel puella, quæ maximè

gidum calefaceret, tam sancta ut calentem ad libidinem non provocaret? Exponat Salomon sapientissimus patris sui delicias, et pacificus bellatoris viri narret amplexus. *Posside sapientiam, posside intelligentiam. Ne obliviscaris, ac ne declinaveris à verbis oris mei, neque derelinquas illam, et apprehendet te; ama illam, et servabit te. Principium sapientiæ, posside sapientiam, et in omni possessione tuâ posside intelligentiam; circumda illam, et exaltabit te; honora illam, et amplexabitur te, ut det capiti tuo coronam gratiarum. Corona quoque deliciarum proteget te. Omnes quoque virtutes corporis mutantur in senibus, et crescente solâ sapientiâ decrescunt cætera.*

Probat idipsum ex etymo nominis *Abisag*, et *Sunamitis*, dum post plura subjicit: *Sed et ipsius nominis Abisag sacramentum, sapientiam senum indicat ampliolem; interpretatur enim, pater meus superfluis, vel patris mei rugitus; verbum superflui ambiguum est, sed in præsentis loco virtutem sonat, quòd amplior sit in senibus, et redundans ac larga sapientia. In alio autem loco superfluis, quasi non necessarius ponitur. Abisag autem, id est, rugitus, propriè nuncupatur, quod ut maris fluctus resonat, et, ut ita dicam, de pelago veniens fremitus auditur. Ex quo ostenditur abundantissimum, et ultra humanam vocem divini sermonis in senibus tonitruum commorari. Porrò Sunamitis in linguâ nostrâ coccinea dicitur, ut significet calere sapientiam, et divinâ lectione fervere; quod licet Dominici sanguinis indicet Sacramentum, tamen et fervorem ostendit sapientiæ. Unde optando concludit: Amplexetur me modò sapientia; et Abisag nostra, quæ nunquam senescit, in meo requiescat sinu. Impolluta est, virginitatisque perpetuæ, et quæ in similitudinem Mariæ, cum quotidie generet semperque parturiat, incorrupta est. Hinc reor dixisse Apostolum: Spiritu ferventes.*

Hæc omnia ad verbum ex S. Hieron. transcripsit Angelomus, qui et addit: *Hinc Dominus ait Lucæ 12: Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat? Qui discipulorum corda succendens cogeat dicere: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in viâ, et aperiret nobis Scripturas? Hanc si quidem puellam amplecti ac diligere debemus, quæ sapientiam significat senum ampliolem; non pueriles declamationes et sapientium flosculos dialecticorum, ac verborum lenocinia.* Deinde idipsum probat exemplis philosophorum: *Si enim Cato, inquit, Romani generis disertissimus (ut quidam doctorum protulit), octogenarius jam et senex Græcæ litteras nec erubuerit, nec discere desperaverit; et si certè, ut aiunt, Homerus refert, quòd de linguâ Nestoris jam vetuli et penè decrepiti dulcor melle oratio fluxerit; et sapiens quidam Græciæ, cum completis centum et septem annis se cerneret mori, dixisse fertur, dolere quòd*

videbatur idonea, ut talia regi præstaret, quæ ætas illa frigida et longo jam ævo exhausta requirebat. Talis verò inventa est in civitate Suna, quæ pertinebat ad tribum Issachar, quæ cum rege esset familiaris et assidua, cum illo sic in eodem lecto dormiret, ut suo calore senile corpus arctius complexa calefaceret; nunquam tamen illam rex, aut conjugali aut amatorio concubitu cognovit. Quod planè prodigii instar est: quotus enim quisque, licet saxeus esset aut ferreus, ad illius ignis attractum non remollesceret? ex quo nonnulla conjectura sumitur, ut credamus Sunamitidem hanc puellam, aut uxorem fuisse Davidis, aut concubinam. Ut quid enim diceretur hæc virgo à Davide non cognita, nisi legitime cognosci potuisset? Neque quo tempore hæc juvenula regi familiare hoc præstitit officium, si erat affectus, ut congressum ullum tentaret, nisi legitimum, aut illud medicinæ, seu fomenti genus admitteret, cum tanto animæ suæ, tamque manifesto periculo. Deinde quod tam grave peccatum admiserat Adonias, cum Abisag istam dari sibi uxorem à Salomone petiit, propter quod ab illo interfectus est, si ancillæ potius præstitit regi, quam concubinæ, aut uxoris

tunc egrederetur è vitâ, quando sapere coepisset; Plato etiam octogesimo anno scribens mortuus est; Socrates septuaginta et novem annos in docendi scribendique labore complevit; quanto magis, calescente corporis juventute inter bella corporis et inter incerta vitiorum sapientiam ediscere debemus; ut et in senectute etiam frigescentibus, in sinu mentis nostræ requiescat, et foveat dormiatque nobiscum, imò cibum spiritualis intelligentiæ nobis ministret? Potest nimirum etiam ista mulier contemplativæ vitæ gestare figuram, quam omnes perfecti incredibili amore complectentes in ejus dilectione flammescunt. David ergo ducit Abisag, quæ sapientiam senilis ætatis propriam repræsentat. Nam *Abisag*, interprete D. Hieronymo proximè citato, idem est quòd *abundans*, et quòd *rugitus*. « In senibus autem, inquit, abundantissimum et ultra humanam vocem divini sermonis tonitruum commoratur. »

Tropologicam causam dat S. Prosper lib. 2 Prædestinat. cap. 27: « Abisag, ait, significat animam Dei gratiâ castitatis calore succensam, quæ frigiditas in fide potentias, ut membra regis magni suo accendit affectu. »

Symbolicam dat Angelomus et Rupertus: « David, inquit, id est, Christus, mortuus et rejectus veteri Synagoga Judæorum, descendit sibi adolescentulam Abisag, id est, Ecclesiam novam Christianorum, et tanto ardore fidei in ejus dilectione caluit, ut propter illius amorem variis periculis se ultro committeret, et ad ultimum pro ejus nomine mori non recusaret. »

(Corn à Lap.)

officium? Quis enim vetuit quemquam cum parentis ancillâ, cui nihil accidit à parentis intemperantiâ, conjugali fœdere conjungi?

VERS. 5. — ADONIAS ANTEM FILIUS HAGGITH ELEVABATUR, DICENS: EGO REGNABO. Cùm videret Adonias à parentis ætate non procul abesse supremum diem, et neque parentis expectandam esse mortem, cùm vires exhausisset, et ætas senilis, et morbus, ita ut ad regendas imperii habenas minus esset idoneus, jam sibi persuaserat fore ut brevi regium jam ipse nomen obtineret, qui fratrum omnium maximus esset natus; neque eâ præfecturâ videretur indignus: quare regios sibi spiritus assumpsit, et quod mente conceperat, ambitiosâ oratione prædicabat, dicebatque audacter et liberè: *Ego regnabo.*

FECITQUE SIBI CURRUS, ET EQUITES, ET QUINQUAGINTA VIROS QUI CURRERENT ANTE EUM (1). Hæc

(1) Ce qui se passa alors dans le royaume d'Israël, peut bien être une figure terrible de ce qu'on a vu arriver depuis durant tout le cours des siècles dans le royaume de Jésus-Christ, qui est son Eglise, où souvent plusieurs, n'ayant point d'autres qualités que celles de la naissance et d'un éclat extérieur, ont aspiré témérairement à s'élever sur le sacré trône du vrai Salomon, sans qu'ils eussent été choisis par le véritable David. Le silence que Dieu gardait pour un temps à l'égard de ces personnes ambitieuses, sans opposer à leurs vains projets, leur donnait lieu de juger qu'il les approuvait; comme le silence de David, qui ne reprit point Adonias, engagea insensiblement ce malheureux prince dans une usurpation ouverte. Mais Dieu ne se taira pas toujours, et ce David s'étant comme réveillé de cette espèce d'assoupissement, prononcera tout d'un coup en faveur de Salomon, contre ces usurpateurs de sa puissance. Quelques-uns peut-être sont surpris de ce que Dieu ne se déclare point plus tôt, et jugeant de Dieu par eux-mêmes, ils ne peuvent comprendre une patience si divine. Mais ils ne considèrent pas que la longue attente de Dieu, comme dit saint Paul, invite à la pénitence. *Mépriserons-nous, dit cet Apôtre, les richesses de sa bonté, de sa patience, et de sa longue tolérance? Ignorons-nous que cette divine bonté nous invite à nous repentir? Et cependant par la dureté de notre cœur, nous nous amassons un trésor de colère pour le jour de la colère et du juste jugement de Dieu.* Combien donc est-il plus avantageux, dit un ancien Père, que la vérité nous brûle présentement par sa sévérité apparente, pourvu qu'elle nous guérissè, que non pas que notre ambition soit flattée, et qu'elle nous précipite dans la mort? Combien doit-on s'estimer plus heureux quand Dieu nous étonne par le tonnerre de ses divines menaces, que lorsqu'il semble dormir en nous laissant dans la jouissance paisible des désirs de notre cœur et de notre orgueil? *Urat veritas, et tamen sanat. Lenitur superbia, sed labitur vita.*

(Sacy.)

signa sunt, aut ejus qui se regem esse meditatur, aut qui regnum ambit. Neque enim quisquam alius hæc assumpsit, aut signa occupati regni, aut regis capitis munimenta. Quæ omnia etiam adhibuit Absalom lib. 2. c. 15, cùm ad regni fastigium aspiraret: cùmque eadem hic, atque illic occurrerint verba, nihil est, quod hic additum esse opus sit. Inde tu explicationem sume.

VERS. 6. — NEC CORRIPUIT EUM PATER SUUS ALIQUANDO DICENS: QUARE HÆC FECISTI? Non ignorabat David quid eo tempore fecerat Adonias, (quis enim ignoraret, quod sine strepitu atque tumultu fieri non poterat?) neque quò spectarent Adoniæ consilia in quo speciem quamdam intuebatur Absalomis, quem immaturi conatus et præceps ambitio in mortem immaturam præcipitem egerunt. Ut autem erat animo in filios magis, quàm expedit, indulgenti ac molli, neque corripuit, neque severâ aliquâ ratione perstrinxit. Quo id consecutus est, ut dùm filium lactat, in Salomonis gladium impegit. Sicut ante Amnonem, qui sororem incesto concubitu compresserat, quem dùm contristare severâ admonitione non vult, impunitum à parente frater Absalom non leviori quàm capitali supplicio multavit.

ERAT AUTEM ET IPSE PULCHER VALDE. Pulcritudine blanda animorum conciliatrix est, quæ et antea, cùm similia meditaretur Absalom, populum fecit suum, et nunc etiam Adonias, dum equitibus superbit, et curribus et prætorianis militibus stipatus incedit. Qui suâ pulcritudine, sic etiam ceperat paternos oculos, ut nihil ab eo adversum audierit, cùm illa juvenilis audacia severam aliquam reprehensionem exigeret.

VERS. 7. — SERMO ET CUM JOAB FILIO SARVILE, ET CUM ABIATHAR SACERDOTE. Illos duos viros principes, alterum in sacris, cùm summus esset sacerdos, alterum in re bellicâ, cùm princeps esset exercitus, ad illud prorsus immaturum conjurationis consilium adhibuit. Quod utrique charò non longè post stetit. Alter enim sacerdotio ideo, alter, tum propter alia crimina, tum etiam propter hanc societatem vitâ privatus est. (1)

(1) VERS. 8. — SADOQ SACERDOS... NON ERAT CUM ADONIA. Abiathar et Sadoq summum sacerdotium simul gerebant, è diversis sati familiis, quàmvis ambo ex uno eodemque genere Aarónico. Abiathar ad familiam Ithamari, Sadoq ad familiam Eleazari pertinebat. Prior inhæserat Davidi perfugæ, et è favore regis Saulis excluso; alter autem sacerdotium in tabernaculo sub eodem Saule exercuerat. David novò planè exemplo exercitium dignitatis

VERS. 9. — IMMOLATIS ERGO ADONIAS ABITHAR

suæ utrique permisit. Merito credimus, duos hosce sacerdotes animo inter se non convenisse, ac fovisse similitates et æmulationes, cùm ex illis alter secesserit in partes Adoniæ, alter verò adhæserit Salomoni. Sadoq res cessit felicior; captis enim regni habenis, Salomon exauctoravit Abiatharum; Sadoqum confirmavit.

BANAIAS FILIUS JOIADE. Banaias virtute suâ illustris, constitutus fuerat à Davide princeps Cerethi et Phelethi, qui custodes corporis fuisse creduntur. Transtulit illum deinde Salomon ad supremum armorum suorum imperium, Joabi loco. Ambo hi duces, Joabus et Banaias, æmulis sese animis suspiciebant, quæ forte causa illos prohibuit, ne in unam eandemque partem convenirent.

NATHAN. Hunc prophetam fuisse constat in obsequio et amore Davidis, cui educationem filii sui Salomonis commisisse plures arbitrantur; ipsumque Salomonem rerum potitum magnam illi auctoritatem apud se tribuisse, ut communi nomine *pater regis* appellaretur. Hæc opinio, quæ Nathano gloriam vindicat educati Salomonis, ducitur è textu 2 Regum 12, 25, in quo hæc olim legebantur: *Misit eum (David Salomonem) in manu Nathan prophete, et vocavit eum Amabilis Domino.* Vel: uti legebat Petrus Comestor: *Commisit eum in manu Nathan.* Sed Vulgata nostra correctâ fert tantum: *Misitque in manu Nathan,* quòd cum Hebræo et Septuaginta coheret. Quare opinioni huic fundamentum subducitur. Quin et ipse de se Salomon affirmat in Proverbis 31, juveniles institutiones à matre suâ sese accepisse.

SEMEI. Sunt qui credant, eundem esse virum ac Nabat patrem Jeroboami, qui decem tribubus imperavit. Idem Semei magister et pædagogus Salomonis fuisse traditur. Quæ tamen omnia inter incerta sunt incertissima. Constat utique, virum fuisse longè alium à Semei, qui maledictis lacessivit Davidem, quique jussu Salomonis neci traditus fuit.

REI. Auctor Traditionum Hebræarum in libros Regum eundem esse virum censet ac Iram Jairitem, veterem Davidis amicum, qui et appellatur *sacerdos David.*

ROBUR EXERCITUS DAVID. Nominè *exercitus Davidis* innuntur faciliè corporis custodes, Cerethi et Phelethi, quæ selectissimæ Davidis copiæ erant, et fortassè unica, quas haberet semper sub signis, et mercede conduceret. Exercitus, cui præerat Joabus, coalescebat ex universo populo ferendis armis idoneo. Numerus erat hominum ingens, at non semper stabat sub signis.

Damus hic novas conjecturas in postrema illa verba: *Semei, et Rei, et robur exercitus.* Septuaginta legerunt: *Semei, et ejus amici potentes, vel fortes David.* Syriacus et Arabs: *Semei et Dai heroes vel gigantes David.* Verendum ego maluerim: *Nec audientes, nec videntes, nec fortes David,* Adoniæ favebant. Nominè audientium et videntium innuntur publicum (vide inferius, v. 20), qui voluntatem regis norant, qui Dei consilium habebant exploratum; vel fortè propheta vel filii prophetarum, præceptores et discipuli, quorum magna erat in regione auctoritas. (Calmet.)

BUS, ET VITULIS, ET UNIVERSIS PINGUIBUS (1). In unctione, aut in auguratione regum immolari solitas esse victimas, multis exemplis jam supra docuimus. Nam cum secundò unctus fuit Saül, et rex à populo conclamatus, oblata fuere sacrificia 1 Reg. c. 11. Item cum unctus fuit secundò Salomon lib. 1 Par. c. 19, vers. 21.

QUI ERAT VICINUS FONTI ROGEL. Locus notatur, ubi oblatae victimae, et instructa convivia, de quibus postea v. 41. Adonias, quique cum illo erant, intenti tam victimis quam geniali convivio, audierunt buccinae clangorem, quo tempore triumphali more Salomon jam unctus et conclamatus rex à populo traducebatur. Item quia fons Rogel non procul abest à Jerusalem, imò videtur affixus esse monti, cui insidet civitas. Ibi enim constiterunt Achimaas et Jonathas, ut quid rerum fieret ab Absalome Jerosolymam ad Davidem perferrent. lib. 2 Reg. 17, v. 17. Hic porrò fons communis erat tribui Juda et Benjamin, quia, ut constat ex libro Josue cap. 15, et c. 18, linea quae utramque dividit tribum, fontem ipsum intersecat. Lapis porrò ille, juxta quem immolatae sunt victimae, et instructae conjuratorum epulae, ideò creditur appellatus Zoheleth, quia prope illum serperent aquae fontis Rogel. Id enim valet aliquando *Zachal*, à quo lapis ille nomen accepit. Ita putat Rab. David. Neque deest ex Hebraeis, qui putet lapidem illum non esse vivum et affixum loco fonti vicino, sed separatim, et in illam efformatam speciem, quam haberet Romanorum discus, in quo juvenes suas solent certatim explorare vires, quemque lapidem Hebraei oneris appellant. De quo nos pluribus ad illud Zach. c. 12, v. 3: *Ponam Jerusalem lapidem oneris*. Ita Rab. Salomon. Porrò Rogel fons ille existimatur, qui à nonnullis dicitur fons fullonis, et à quo fullonis ager nomen accepit. Neque aliqua deest conjectura sumpta à nomine *Reguel*, quod significat pedem. Fullo enim in emundandis et dealbandis pannis non tam manibus utitur, quam pedibus. Sic docet Plinius lib. 28, c. 6, ubi dicit urinam virilem vim magnam habere contra podagram, cui rei argumento esse dicit, quia fullones eo morbo non laborant: quae ratio omninò valeret nihil, nisi opus illud

(1) IMMOLATIS ADONIAS... UNIVERSIS PINGUIBUS. Reddi Hebraeus posset: *Immolatis ovibus et capris, vel arietibus, vel hædis et bobus seu vitulis, et animalibus ad id saginatis*. Septuaginta: *Sacrificavit oves, et vitulos, et arietes*. (Calmet.)

pedibus magis ageretur, quam manibus. Sanè Titinnius in Fullonia, apud Nonnium, crebro multiplicique sufultu emaculati et candefieri à fullone vestes ostendit. Sic enim ille:

*Terra hæc est, non aqua,  
Ubi tu solitus argutarier pedibus,  
Cretam dum compescis, vestimenta que lavas.*

VERS. 10. — NATHAN AUTEM PROPHETAM, ET BANAIAM, ET ROBUSTOS QUOSQUE, ET SALOMONEM NON VOCAVIT. Non ausus est, opinor, Adonias his impartiri sua consilia, quia in re illà procurandà adfuturos sibi non putabat. Sciebat enim, ut reor, Adonias, quid de successore pater statuisset, et quemadmodum aliquando promississet Bethsabæe, ipsius filium Salomonem Israelitici regni habiturum habenas. Quod non ignorabant domestici, quique regi familiariter assidebant, qualis erat Nathan, ut ipse statim ostendit, et Banaïas, et robusti illi, quibus credita fuerat regii corporis prætoriana custodia. Hi verò sunt Cerethæi et Phelethæi, quibus, ut liquet ex c. 20, lib. 2, præerat Banaïas. Alios itaque adhibuit, quos à suis consiliis minùs existimabat alienos: ab his autem sibi caverat, de quorum fide atque animo sibi metuebat.

VERS. 11. — DIXITQUE NATHAN AD BETHSABEAM (1). Quia uxores regiae, ut illarum decebat

(1) *Alors Nathan dit à Bethsabée, mère de Salomon: Savez-vous qu'Adonias s'est fait roi sans que David, notre seigneur, le sache? Qu'heureux sont les princes à qui Dieu donne quelque serviteur fidèle également attaché aux intérêts de leur couronne et de leur salut, tel qu'était Nathan à l'égard du roi David, qui savent dans les occasions ménager par tous les moyens de la prudence chrétienne ce qui leur est véritablement avantageux pour l'un et pour l'autre! Mais comme David ne nous représente pas seulement les princes, mais encore Jésus-Christ dans tous les fidèles faibles ou forts, disons plutôt qu'heureux sont ceux qui appartenant au véritable David, et qui étant quelquefois comme endormis en ce qui regarde leurs vrais intérêts, trouvent dans quelque pasteur, comme dans Nathan, la lumière et les avis qui leur manquent. Car si ce prophète avait manqué à David, peut-être que son royaume aurait passé, contre sa première volonté, à Adonias, et Dieu ne faisant pas toujours des miracles, Salomon, son vrai successeur, en aurait été exclus.*

Nous avons aussi en nous un Adonias, c'est-à-dire le démon même qui, comme un tyran, travaille sans cesse à usurper le royaume de notre cœur, lequel appartient au vrai Salomon, qui est Jésus-Christ. C'est à nous à nous défier des faux pasteurs qui se joignent comme Abiathar à cet insolent usurpateur, pour nous tromper et pour nous perdre. Et nous ne pouvons assez nous attacher aux vrais prophètes

dignitatem et nomen, in gynæceo erant, aut femineo secessu, quò minùs sæpè veniunt, quæ foris fiunt, ac populari in turbâ; ideò cum res esset explorata vulgo, ignorabat tamen Bethsabæe, ad quam Nathan refert quid moliretur Adonias, quantum ipsi et filio Salomoni imminere periculi, et quomodò obtinere posset à rege Salomoni regnum, quo jam penè David defunctus videbatur.

VERS. 12. — SALVA ANIMAM TUAM, FILIQUE TUI SALOMONIS. Nòrat Nathan quam præceps sit ambitio, cæca et amens regnandi cupiditas, quam nihil curet humanitatis atque naturæ leges. Atque ideò timere poterat, ne Adonias Bethsabæe matri et Salomoni filio aliquid intentaret hostile, ne quid esset quod regni sui statum perturbaret. Sanè scimus multos regnandi studio fratribus suis attulisse necem; apud profanos exempla sunt explorata atque obvia. Ochus Persarum rex, ut tradit Justinus lib. 10, quò liber regnaret et sine metu, fratres occidit octoginta. Et Phaartes, ut docet idem lib. 42, Parthorum rex, quò regnum obtineret, Herodem patrem, et triginta filios interemit. Cujus diræ atque impiæ atrocitatis exempla una nobis Othomana domus suppeditat, quæ sæpè, ut regnum obtineret, sceleratum ferrum fraterno sanguine cruentavit. Eodem consilio Abimelec Gedeonis filius, ut habes Jud. 9, septuaginta fratres interfecit, ne superesset unus ex tantâ familiâ, qui regnum ambiret aut à se fraudulentis occupatum consiliis novarum rerum molitione turbaret. Idem fecit Joram Rex Juda, qui sex fratres occidit lib. 2 Par. c. 21. Idem quoque ne faceret, timeri potuit Adonias, cum sciret eò inclinatum parentis animum, ut Salomonem in regno sui loco sufficeret; qui eo nomine comparare sibi potuit studia populi, qui neque malè animatus erat in Davidem, et ideò factum vellet, quod priùs, et designasset animo, et verbis non obscuris significasset. Quare prudenter admonetur à Nathan prophetâ Bethsabæe, ut Adonias considu Seigneur, qui, comme Nathan, nous parlent dans la sincérité de Dieu, selon que saint Paul le dit de lui-même.

Bethsabæe, comme le témoigne saint Augustin, était en cela la figure de l'Eglise. Et c'est elle proprement que nous devons écouter, lorsque les fidèles ministres de Jésus-Christ nous représentent nos devoirs, puisqu'ils ne sont destinés que pour appuyer, comme ses organes, ce qu'elle nous dit par eux, selon qu'il nous est marqué ici par Nathan, qui témoigne à Bethsabæe qu'il appuyera ce qu'elle aura dit au roi: *Et complebo sermones tuos*. (Sacy.)

lium antevertat, et suæ et Salomonis filii vitæ maturè prospiciat. (1)

VERS. 16. — INCLINAVIT SE BETHSABEÆ, ET ADORAVIT REGEM. Placuit Bethsabæe prophetae

(1) VERS. 15. — *Bethsabæe alla donc trouver le roi dans sa chambre, se baissa profondément et l'adora, etc.* Ce terme d'adoration est pris ici improprement, et ne veut dire autre chose qu'une profonde inclination, avec tous les témoignages d'un profond respect. Car on sait assez que l'adoration véritable n'est due qu'à Dieu seul. Et David, étant si humble et si éclairé, n'aurait pas souffert que la reine eût commis une impiété à son égard. Mais on peut bien dire qu'en cela même elle figurait cette profonde adoration où est l'Eglise à l'égard de Jésus-Christ. Et la conduite de cette princesse en tout ceci est d'une admirable instruction pour toutes les âmes qui sont comme les épouses du Sauveur. Elle savait que David et que Dieu même avait résolu que le prince Salomon, son fils, succéderait à la couronne de son père. Le temps d'accomplir cette promesse était venu, et c'était par elle-même que cet ouvrage se devait exécuter. Mais, soit par inadvertance ou par retenue, elle demeurait dans une paix étonnante. Il faut que Nathan, le prophète du Seigneur, la vienne trouver; qu'il lui fasse part de ses lumières; qu'il règle ses pas, et mette en sa bouche toutes les paroles qu'elle doit dire. Elle défère avec une humilité admirable à ce que lui dit Nathan; et sans entreprendre de mêler ses lumières particulières avec les lumières de ce saint prophète, qu'elle respecte comme celles de Dieu même, elle se met en état de renverser tous les desseins ambitieux d'Adonias.

Que les âmes donc, que Bethsabæe représente ici, apprennent de son exemple que, si Dieu leur fait comme à cette reine de grandes promesses, elles doivent sans empressement attendre, comme elle, qu'il leur déclare par la bouche de ses ministres ce qu'elles sont obligées de faire; et ensuite y obéir avec la même docilité qu'elle fit paraître alors. Qu'étant convaincues de leur faiblesse, elles regardent toujours leurs pasteurs comme leur tenant lieu de Nathan, c'est-à-dire comme pouvant et comme devant suppléer à leur défaut par leur grand crédit auprès de Dieu; *complebo sermones tuos*. Et qu'après avoir reçu la plus grande grâce qu'elles pouvaient espérer en cette vie, qui est de devenir les épouses de Jésus-Christ, en accomplissant fidèlement la volonté de son Père, elles imitent la reconnaissance de Bethsabæe. Qu'elles disent dans la profondeur d'un humble ressentiment: Si Dieu ne m'avait parlé par son prophète, je serais encore au rang des pécheurs: *Erimus ego, et filius meus, peccatores*. Il est vrai que, selon le sens littéral de l'écriture, cette parole que la reine dit au roi signifie que, si ce prince venait à mourir avant que d'avoir déclaré sa volonté sur le choix qu'il faisait de son successeur, Bethsabæe et Salomon passeraient pour criminels dans l'esprit d'Adonias, qui, comme son fils aîné, prétendait s'attribuer la couronne. La prière de cette princesse est admirable dans son humble simplicité: *Tout Israël, dit-elle à David, jette maintenant*